



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

1. Quid, & quotuplex sit citatio, quae eius necessitas?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

Atheniensibus, atque ut absoluerent sermonem, rogantibus. Itane vero de asini umbra, inquit vultis audire dicentem de rebus seriis non vultis? *Plutar: in vita Demosth: Quæri posset, an ob negatam sibi umbram Cōductor in jus vocare potuisset Megaræ, Locatorem Atheniensem? Resolut: pete ex n. 4*

## C O N C L U S I O.

## I.

**S**UPPOSITA jurisdictione, & competentia Judicis, omnium actionum institendarum principium ab ea parte proficitur, quâ Prætor edicit de in jus vocando. Colligitur *ex capit. Quoniam contra infra de probat: & habetur §. ultim. Instit: de pœn: temerè litig: Errant igitur qui scribunt ante denunciandum esse debitori, quam in jus vocetur. Duar: art: 2. disput. ann. 28 Cuiac: 5. obs. 31. Adeò hæc in jus vocatio necessaria est, quoad absentem, ut nullatenus omitti possit. Clement: Pastoralis de rejud: Nam cum ea ad defensionem spectet, juris est naturalis, imò secundum al-*

quos

quos Divini: inducta quando Deus cita-  
vit Adamum post peccatum commissum,  
dicēs, *Adam ubi es?* *Gen: 3.* quos refert Cal-  
volus *in praxi §. citatio concl: 1.* Et ideò eâ  
omissâ judicium redditur nullum. Est ci-  
tatio actus legitimus, quo quis mandato  
Judicis juris experiundi gratiâ in judici-  
um vocatur. *L. 1. ff. de in jus vocando. L. 2. ff.*  
*si quis in jus voc. non ier. §. ult: Instit: de pæn:*  
*tem: lit.* Et vel realis est, vel verbalis: illa  
per manus injectionem, & apprehensio-  
nem personæ citandæ; hæc aut privatim  
per apparitorem, vel literas, aut publicam  
præconis vocem, tubam, campanam, aut  
edictis legitimis fieri solet. *L. 8. C. quomodo*  
*& quando Iudex.* Edictalis citatio tunc ad-  
hiberi solet, quando aliâs quis citari neq̄t:  
ut si locus non sit tutus, si non proprii ter-  
ritorii, si remotus nimium, aut varius ubi  
citand⁹ moretur, vel si ipse citandus sit va-  
gabundus, aut impediatur ne citatio verba-  
lis, vel p̄ litteras ad se venire possit. *Menoch:*  
*8. remed: q. 13. de recuperand: possess: n. 113. & seq.*

2. Iterum citatio alia simplex, alia per-  
emptoria: illa citatum non ante contu-  
macem constituit, quàm si tertio & justo